



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Juno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JUNO. CAP. I.

Nat. Com. lib. 2. c. 4. Julia Pia & Faustina numus.

Junoni Pavo præcipue dedicatus Deamque ipsam nonnulli solo Pavonis hieroglyphico intelligebant. In Julia Pia Felicis numo signum Junonis est, cum hasta & patera, Pavone juxta appposito, cum inscriptione, JUNONEM, casu quarto, quod lectu rarum est. In Faustinae vero numis idolum idemdem est: cum lancea & patera, à cujus pedibus Pavo: inscriptio est, JUNONI LUCINÆ. Junonis autem avem esse hanc, ejusque currui succedere nonnulli ideo confingunt, quod Juno dubio procul opulentiam significat: ea vero cum exponitur spectanda, omnium in se oculos contrahit. Verum ideo Pavones Junoni consecratos putat Athenæus, quod hujusmodi aves in Samo insula prius repertæ fuerint, indeque ad gentes alias delatæ: sacra enim apud veteres fuit Junoni Samos, & in Samiorum pecunia impressus Pavo, ut idem Athenæus author est. Spectabatur & Mycenis Pavo pulchritudinis admiranda, in æde Junonis, quam Hadrianus dedicaverat.



Vide Ovid. lib. 2. Met.

DIVITIARUM TURPITUDO. CAP. II.

Diæm Theophr.

Ceterum, plerumq; divitiarum finis in turpitudine consistit, talesque sunt Pavonis pedes, quare Theophrastus super hoc sapienter dixit, τ' ἀλλὰ περιγνώθι, cum admonere vellet, in speciosa rerum ostentatione etiam alia circumspicienda perscrutandaque esse: quasi multa turpia & fæda visu dictaque, sub tam formosa specie delitescant: quod Theophrasti dictum ita Horatius expressit:

Sed videt hunc omnis domus & vicina toræ,
Inversum turpem, speciosum pelle decoræ.

Hujusmodi sunt apud Lucianum tragœdiarû libri, cocco, purpura, auro, argenteo ve foris amplicè decorati, intro vero simulac in spexeris, nihil latabile, nihil deliciofum deprehendas: sed adulteria infanda, incestus, sacrilegia, turpissimas cædes, & omne scelerum & impietatis genus: ὡψαρχὴ enim, ut antiquus Phocylides ait, ὁ πολὺς πλετῶν, καὶ ἐς ὕβρεις ἀίξει. Divitiæ elatum faciunt, sed impia adaugent. Argumentum autem hujusmodi ἰεργλυφικῶς exprimeret qui voluerit, apte Pavonem cauda passa, unoque elato pede ostentatoque figurabit.

DIVITIÆ VICISSITUDINARIÆ. CAP. III.

Plin. lib. 10. cap. 20. Huc spectat proverbium πικρὰ ὄντα ἐπὶ πικρῶν ἰσθόνε μαγὴ βαρύνει.

St hominem, quo modo Divitiis afflueret, modo rerum inopia premeretur, varioque eventu fortuna volubilitatem jacturis & donis experiretur, significare qui vellent, pro hieroglyphico Pavonis tantum caudam facere consueverunt: caudam is siquidem, singulis annis cum primis arborum frondibus admittit, cumque earundem germine recipit. Ab elabotatarum autem divitiarum similitudine factum crediderim, ut Homerum Platonici dixerint in Pavonem abiisse, qui tantum rerum varietatem poeticis coloribus ornatam explicuerit.

NOX. CAP. IV.

ἄργῳ quid.

Noctem vero significantes, Pavonem surrecta in orbem cauda figurabant. Nam cum Pavonem Argum interpretarentur, tot luminibus insignitum, neque aliud quidpiam per Argum quam celum nocturno tempore, si datur dicere, oculatissimum intelligerent, atque illi nomen à splendore atque velocitate inditum profiterentur (utrumque enim ἀργῳ significat) neque alio tempore micantissimi stellarum radii coruscarent splendetque, quam nocturno; datus est fictioni locus, ut per oculatam ejus alitis caudam nox ipsa, sensu mystico hieroglyphicoque significaretur.

DIES.